



3  
D E C A S II.

QUÆSTIONUM  
ILLUSTRUM, AD SUP-  
plendam Ethicarum quæstio-  
num centuriam,

*Auctarij loco adjectarum.*

*Quam*

DEO ducente & docente

*In illustri VVittebergensi Academia,*

P R Æ S I D E

*Viro Clarissimo & Excellentissimo*

**M. HENRICO VELSTENIO,**

Philos. Moralis Prof. Publ.

*discutiendam proponit*

**M. JOHANNES CANUTI FORTHE-**

**LIUS** è Both-nia Orientali Peersôrensis.

*Ad diem 22. Septemb. horis lociq; consuetis.*

*Jovius.*

Nihil in hac vita nobilius atq; beatius, quam invicto  
animo suæ pariter atq; alienæ fortunæ obviam ire per-  
petuisq; beneficentiæ & liberalitatis operibus insitæ  
virtutis famam extendisse.

*VVitteberga, Typis Johannis Gormanni, An. 1610.*



SERENISSIMI

atq̃

POTENTISSIMI

CAROLI IX. SVECO-

rum, Gothorum, VVandalorum, Fin-  
nonum; Lapponum &c. Regis supre-  
mo in Moscovia exercitus

Duci:

ILLUSTRI ET GENEROSO

Dn. IACOBO PONTI DE-  
LAGARDIÆ, L. Baroni in Eekholm,  
Dynastæ in Kolcka & Runsa, Domino  
& Meccœnati meo benignis-  
simo,

*Perennem à salutis auctore salutem,  
& felicitatem,*



Ogitanti mihi, Generose Dn. Baro, me-  
cœnas maxime, quâ ratione V. G. be-  
nevolentia ac beneficentia erga me singu-  
lari, in Musarum castris procul à domesti-  
cis focis militanti exhibita, aliquid grati-  
tudinis loco reponere possem: incidit ali-  
quando exemplum villici illius, qui, si rectè memini, Impe-  
ratori Ferdinando placere quarens, pira & poma ruris sui  
honores ipsi obtulit: quæ ab Imperatore, animû magis, quam  
muneris dignitatè respiciente, comiter & humaniter excepta  
perhibentur. Complacuit mihi id ipsum imitari, & subito mu-  
nusculum, vel potiùs debitum, pro tenuitate mei ingenij pa-  
rare studui. Et ut ille pira & poma ruris sui honores;  
ita ego hunc ingenioli mei qualemcunq; fœtum in V. G. si-  
num deponere non erubesco. Natura certè hoc me facere ius-  
sit: ratio recta id ipsum à me efflagitavit. Cui namq; potiùs  
animi meditationes dicanda & consecranda, quam ei cui  
jam dicatus & consecratus est animus? Volui certè paucarum  
harum pagellarum dedicatione testatam facere debitam pie-  
tatem & humilimum animi affectum, quo V. G. multis no-  
minibus obligatus sum. Neq; hasce pagellas ingratas fore sin-  
gularis V. G. industria & virtus, qua apud omnes bonos  
V. G. nomen magnum est, mihi persuadebant. Ut igitur hoc-  
ce qualemcunq; meû studium V. G. pro suo in universum litera-  
rum literatorumq; ordinem favore & amore, vultu beni-  
gno & animo sereno accipere, gratiosè fovere, meaq; studia suo  
generosissimo Patrociniò complecti dignetur, humillimâ men-  
te precor. Ego vicissim debita obsequia & pias preces pro G. V.  
incolumi felicitate & felici incolumitate ex intimis animi  
mei recessibus spondeo & promitto. Benè & feliciter ad Nesto-  
reos usq; annos V. G. vivat & valeat. V. Wittebergæ 19. Sept.  
Anni 1610. G. V. observ.

Johannes Forthelius Peersôrensis, A. & R.

# QVÆSTIO I.

An bona conscientia sit pars felicitatis humanæ?

**D**ari summum bonum seu humanam felicitatem in 2<sup>a</sup> disp. probatum fuit, ut & definitum ex cap. 2. lib. 1. Ethic. Nichom. quod sit operatio anime rationalis secundum virtutem perfectissimam & optimam in vita perfecta. Si enim res omnes ad proprium quoddam opus & certum manus sunt condita, in qua earum bonitas & perfectio consistit: ergo & homo minimè omnium eo fine est generatus, ut somnum dormiat Epimenidis, ut ocium agat ignavum, consecetur inertiam, sed ut preclaris & honestis actionibus omne tempus consumat, ut habet Clariss. Dn. Præses in Exercit. Eth. disp. 2. Et cum teste Ciceron. lib. 5. de fin. & lib. 4. Acad. quæst. de nulla questione major fuerit inter homines dissensio, quàm de ea, quæ queritur, quanam res sit summum hominis bonum; cujus causam Philosophus 1. Nicom. c. 5. diversitatem generum vite esse dicit: omnes à nostro hoc fine dissentientes (utpote quæ in voluptate, honore aut divitijs &c. summum hominis bonum posuerint) luculentissimis rationibus à verò longissimè aberrare demonstratū est. Hisce præsuppositis querimus: an bona conscientia sit pars felicitatis humanæ? Est verò bona conscientia nihil aliud quam jucundus & pacatus animi status, qui rectè facta comitatur & consistit in tranquillitate mentis & lætitiæ cordis, ut habet Clar. Dn. Præses in Exerc. Eth. disp. 2. th. 16. *Vel est notitia rectè factorum, quam homo secum abditam in corde habet, ut eam definit Timp. in Eth. gen. lib. 1. c. 6. q. 3.* Hanc omnino ad humanam felicitatem requiri persuademus his argumentis.

1. Quia nemo in hac vita felix est, nisi sibi benè sit conscius.  
Nemo autem sibi benè conscius est, nisi secundum virtutem  
mora-

moralem agat. Hinc Horatius Lib. 5. ep. 3.

————— hic murus ahenensis esto

Nil conscire sibi nullâ pallefcere culpâ.

2. Quia felicitas humana non potest consistere sine tranquillitate animi, & qua cum hac cōiuncta est bona fiducia & spe. Illa autem non aliunde, quàm ex bona conscientia oritur. Fidem nobis facit Salomon Prov. 15. ubi inquit, Secura mens quasi iuge convivium. Et D. Augustin. conscientia bene actæ vitæ multorumq; beneficiorû recordatio jucundissima &c. Et Periander interrogatus quid in minimo esset maximum? respondit: bona mens in corpore sano. 3. Quia mala conscientia est pars miseriæ humanæ & à vitio morali pendet. Nam teste Ovid. lib. 5. Fast.

Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra Pectora, pro facto spemq; metumq; suo.

Et Cic. pro Milon. Pœnam, inquit, semper ante oculos versari putat, qui peccavit. Mala conscientia est mater formidinis & codex in quo quotidiana peccata scribuntur. Chrysof. in Psal. 50. nec ulla pœna gravior est, ait Isidorus, quàm pœna conscientia. Ergo cum contrariorum sint contraria attributa, sequitur bonam conscientiam esse partem felicitatis humanæ & à virtute morali pendere. 4. Quia nemo in hac vita felix est, qui in perpetua tristitia & anxietate versatur. Talis autem est, qui sibi malè est conscius. Siquidem conscientia mala instar tortoris & carnificis animum hominis intus urit, cædit, lancinat & metu nunquam vacuum esse sinit.

Scilicet ————— fataliter angor

Omne nefas sequitur, nec habet mens conscia pacem.

Et Iuvenalis Sat. 13. ————— cur tamen hostu

Evasisse putes: quos dixi? conscia facti

Mens habet attonitos & surdo verberare cædit

Occultum quatiente animo tortore flagellum.

A 3

Pœna

Pœna autem vehemens, ac multo favior illis  
Quas & Cœlitiùs gravis invenit aut Rhadamantus,  
Nocte dieq; suum gestare in pectore testem.

*bonam conscientiam.*  
~~Cum igitur felicitas humana cum mala conscientia consistere  
non possit, sequitur ad illam constituendam necessario requiri.~~  
Quam ob causam etiam danda opera est Viro bono, ut in o-  
mni vita ne ad transversum quidem unguem à recta consci-  
entia discedat.

## QUÆSTIO II.

An sola sacra Scriptura sit causa exemplaris  
virtutis moralis?

*Sine terminorum explicatione, per se quippe notorum, ad  
ipsam questionem nos conferimus.* Videtur autem Affir-  
mativa hisce potissimum argumentis probari posse.

1. 1. Quia sola sacra Scriptura præcepta piè sanctèq; vivendi  
tradit, quæ uti Deum authorem agnoscunt, ita immota sunt  
veritatis.
2. 2. Quia quicumq; vitam suam instituit secun-  
dum præcepta S. S. Scriptura, is verè probus est virtutisq; mo-  
ralis particeps, ut testatur Regius Propheta in Psalmo suo  
1: quo etiam quadrare videtur illud Marci Eremitæ, ubi  
inquit: quoties aliquid virtutis feceris, memor sis ejus, qui  
dixit, sine me nihil potestis facere.
3. 3. Quia in sacra  
Scriptura proponuntur nobis tum virtutum imitandarum,  
tum vitiorum fugiendorum exempla.

Hæc, utut sint, non tamen simpliciter & indistin-  
ctè accipienda sunt. Etsi enim libenter & ex animo fa-  
temur solā sacram Scripturam esse normā veræ pieta-  
tis, ut & moralis virtutis, quatenus homini Christiano  
inest, & à Theologo consideratur: aliam tamen esse ra-  
tionem ejusdem, prout à Philosopho Ethico considera-  
tur, iisque etiam inest, qui sunt Ethnici, neque dum ex  
aqua & spiritu regenerati, nobis habemus persuasissi-  
mum



mum. Nam præter sacram Scripturam, causam exem-  
plarem virtutis moralis etiam ὁρθὸν λόγον rectam ratio-  
nem, hoc est, mentem rectè judicantem de honesto &  
turpi secundum legem naturæ insitam, voluntatem  
obtemperantem, doctrinam seu assuefactionem lau-  
dabilem, & virtutem in alijs prælucentem agnoscimus.  
*Et tantum etiam de hac questione.*

### QUÆSTIO III.

Quænam sit propria sedes liberi arbitrij  
in homine?

*Quæritur in hac questione de libero hominis arbitrio,  
utrum in intellectu; an verò in voluntate resideat?  
Antequam verò ad hanc questionem aliquid respondeam,  
operæ precium me facturum arbitror, si prius terminos, in hac  
questione occurrentes, ab æquivocatione liberavero: nam er-  
roris genitrix fuit æquivocatio semper. Libertatem mul-  
tis modis accipi certum est. Sumitur namq; 1. ut op-  
ponitur servituti, & dicitur de illis, qui nemini servitutis  
jure sunt subiecti, ut libera civitates hîc in Germania. 2. Op-  
ponitur coactioni, & accipitur pro eo quod sponte operatur,  
et si id quidem naturali necessitate eis contingat, liberè ta-  
men & spontè non verò coactè operari dicuntur, ut pisces in  
mari, aves in aère. 3. Necessitati, & tunc accipitur de ea  
libertate, quæ cum ratione est juncta & ab illa oritur ac mu-  
tari potest, ut quis vel agere vel suspendere actionem valeat.  
Plura significata qui cupit, videat Piccolom. grad. 2. c.  
30. Atq; hæc ultima est vera & simpliciter dicta libertas,  
de qua etiam hoc loco quarimus. Definitur autem hæc liber-  
tas quòd sit facultas hominis, quâ de oppositis ad ejus a-  
ctiones pertinentibus ratiocinari: oppositaq; præcli-  
gere valer, ex parte animæ sua natura rationis compo-  
te prodiens quat. ex materia non pender, hominiq;   
Dei*

Dei munere pro sui perfectione tributa. Idem grad. 2.  
 e. 40. Hujus libertatis causa efficiens est mens nostra:  
 Forma consistit in eo, quod non coactè nec instinctu natura  
 ducti, sed propria ratione & consultatione ad finem tendimus  
 c. 39. In intellectum accipimus hic non pro habità principiorū,  
 sed animi facultate cognoscente voluntati contradistincta.  
 Sic etiam voluntatē strictè accipimus hic quat. à Piccol. g. 2.  
 c. 22. definitur, quòd sit appetitus mētis tendens ad finem hu-  
 manarum actionum à mente ut nobis bonum judicatum. Hi-  
 sce ita præacceptis ad ipsam rem deveniemus. Qui igitur  
 pro intellectu pugnant ut sunt Alexander, Ludovicus  
 Boecaferta, Portius, Episcopus, Casertanus & alij viri  
 celebres, hisce præcipuè telis utuntur. 1. Facultas li-  
bera debet cognoscere: propterea enim dicitur posse opposita,  
 quia utrumq; cognoscit. Voluntas, ut quævis facultas appe-  
2. Libertas ei debet competere cu-  
tens, non cognoscit. Ergo. 2. Libertas ei debet competere cu-  
 jus officium est imperare, regnare, præesse, dominari. At hoc  
 facultati convenit judicanti & ratiocinanti, non appetenti:  
 officium enim appetentis est exequi & implere mandata judi-  
 cis præcipientis. Ergo. Minor est Philosoph. 3. de anim. 3.  
3. Ea vis & facultas, quæ libera est, debet esse efficiens, nō autem  
solum mota & patiens: id enim quod movetur, ab alio diri-  
 gitur, contrahitur, determinatur. Facultas appetendi est  
 patiens, mota, excitata & ducta à cognoscente. Ergo. 4. Vo-  
luntas cum sit vis patiens & indifferens non valet ex se de-  
terminari, nihil enim se movet, cum sit indifferens, non valet  
sua facultate alterum oppositorum prosequi: ab agente enim  
 equali non manat actio 2. Phys. 4. Averroes. 5. Libertas fa-  
cultati nobiliori convenire debet: indicat enim perfectionem:  
 at facultas quæ ratiocinatur & cognoscit præstat facultati ap-  
6. Libertas maximè fulget in ordinatis ad  
finem. Voluntas autem ipsius finis est. Ergo. 7. Authoritates  
adducun-

*adducuntur Arist. Platonis Plotini, Alexandri & Averrois, quos qui videre voluerit, poterit legere cap. II. q. 2. Qui pro voluntate stant. triplici armorum genere uti cōsuevere, dictis nimirum scripturæ, autoritate magnorum virorum & firmis rationibus* Quoad primum genus: Producunt c. 15. Ecclesiast ubi ad voluntatem simpliciter & absolutè libertas refertur hisce verbis: Si volueris mandata servare, conservabunt te: ac si vellet dicere, non si intellexeris aut alius tradideris, sed si volueris, quâ volitione liberum reliquit homini aut facere velle, aut nolle, quâ libertas in voluntate est posita, ut Clarissimus Iacobus Martini illud dictum in suis centuriis exponit. Item 1. Corinth. 2. expressius hoc ipsum Paulus explicat, inquiens: non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis. Quibus verbis nihil clariùs potest dici, quàm libertatem veriùs ad voluntatem, quàm intellectum accommodari posse. 2. Autoritas D. Ambrosij lib. 2. de fid. c. 3. Operatur, inquit, prout vult, hoc est, pro liberrimo voluntatis arbitrio, & August. in lib. de lib. arb. & gr. c. 2, revelavit nobis DEUS per scripturas sanctas esse in nobis liberum voluntatis arbitrium. 3. Ratio desumitur ex collatione indeterminationis utriusque potentie intellectus videlicet & voluntatis. Intellectus enim non est indeterminatus ex se ad assentiendum & dissentiendum. At voluntas est indeterminata ad quam plurima ipsius objecta, quia evidenter cognitis plurimis bonis non necessariis, ad ultimum finem assequendum potest quodlibet eorum eligere aut rejicere. Et hac ratione voluntas quo ad exercitium movet intellectum, sicut & reliquas potètiâs in homine: quod probatur inde, quia principium cuiusq; active potentie est ex fine; finis verò actuum intellectus continetur sub fine voluntatis: proinde intellectus ad actus suos eliciendos à voluntate moveri debet: ad finem verò libertas rationali crea-

B

li crea-

*li creatura est concessa, nempe ad opera virtutum amplectenda & fugienda vitia. Et hoc si inverteretur, ut libertas magis ad intellectum, quam voluntatem esset referenda, posset homo peccare ante voluntatis consensum, quod est absurdum, juxta illud Augustini: Peccatum si voluntarium non sit, peccati rationem non habet.*

Pro quæstionis determinatione notandum, liberum arbitrium esse partim in intellectu, partim in voluntate: & respectu quidem illius monstrantis objectum prosequendum aut fugiendum, nominari arbitrium: respectu vero voluntatis, judicium intellectus sequentis aut repudiantis, appellari liberum. Plura vide apud Iavel. l. 9. Metaphys. quæst. 3. Piccolom. g. 2. c. 43.

#### QUÆSTIO IV.

An ergo voluntatis electio pendeat necessariò ab ultimo judicio rationis practicæ?

Robertus Bellarminus l. 3. de gratia Dei & lib. arb. c. 8. & 9. docet liberum arbitrium, quod humanarum actionum principiis jure meritoque accessimus, non tantum à coactione, sed ab omni etiam aliâ necessitate planè liberum esse oportere: & tamen ab ultimo practicæ rationis judicio necessariò determinari. Rationem apponit hanc: *Quia sine justo judicio nulla est electio, nec actio ulla sine objecto. Voluntatis autem objectum est bonum cognitum ac judicatum, quum ignotum nec appeti nec respici possit.*

Rejiciunt alij, ut absurdam hanc Bellarmini sententiam, quòd ea vim & naturam voluntatis, cujus essentialè proprium est, liberè ferri in objectum suum, prorsus evertat. *Illud enim liberum est, quod objectum cognitum potest recipere vel non recipere. Iam verò si voluntas necessario de-*

*riò determinatur ultimo practica rationis iudicio, eiq̄ subji-  
citur; non poterit objectum rejicere vel recipere. Ergo non  
erit libera, sed suà jam libertate spoliata.*

Pro quæstionis determinatione notandum. i. Aliud esse, voluntatem in actionibus suis adjunctam habere rationem; aliud verò, voluntatem à ratione determinari: *Voluntas quocunq̄ se volverit, semper comitem rationem habet, non quod semper ex ratione, sed quòd nunquam absq̄ ratione moveatur.* Bernhardus lib. de gratia & lib. arbitrio II. Distinguendum inter generale & particulare. *Inest vis illa voluntati, ut velle ac nolle possit in genere.* Scal. Exerc. 307. sect. 25. *at ut particulare quiddam velit vel nolit, necessum est, ut ab alio excitetur.* III. Distinguendum inter actus exercitium & ejus specificatiōnem, quoad illud, *voluntas suà ingenitā vi & facultate movet ipsum etiam intellectum*: Quoad hanc, *Intellectus movet voluntatem, non imperando seu cogendo, sed suadendo, quatenus objectum cognitum & iudicatum suadet esse eligendum vel negligendum.* Neque tamen trahit aut rapit intellectus voluntatem ad illud bonum amplectendum; sed tantum monstrat intellectus voluntati & proponit hoc bonum, penes voluntatem jam situm est, penitus sequi hoc bonum vel non sequi. Habet in eo libertatem voluntas, & à se ipsa movetur ad hoc bonum sequendum; Intellectus satis habet objectum monstrasse; applicatio autem voluntatis ad illud objectum quanta est, tota pendet à principio & arbitrio interno ipsius voluntatis. Colleg. Connimbr disp. Eth. 4. q. 2. a. 7. 2. Scal. Exerc. 307. s. 25. Barthol. Kerker, in curs. Phil. Disput. 19. q. 13. pag. 550. Hubemajerus in auctar. Eth. 3. q. 2. Timpler. 1. 4. Eth. general. q. 3. pag. 398.

B 2

Vtrum

QVÆSTIO V.

Vtrum nobilitas est purum putum hominum inven-  
tum, an verò in natura fundamentum suum habeat, ita  
ut qui ex parentibus & majoribus præstantibus sint nati,  
indolem quoq; obtineant præstantiorem?

Quoad nobilitatem eamq; ex majoribus deductam,  
sunt qui eam planè nullo habeant loco. Sic enim rati-  
ocinantur 1. Cum primùm nati sumus, naturam omnib. consi-  
mitem dedisse faciem, peculiare nihil, equam parentem esse om-  
nib. nulli novercam, omnes ad felicitatem gigni idoneos, -  
nã eandemq; generis originem habere. 2. Frumentum optimũ  
judicari, non quod in pulcherrimo agro natũ sit, sed quod com-  
modè nutriat & qui venationi studet canes optimos ad venã-  
dum cõparare, non catulos quamvis sint optimo genere. 3. Ex  
equis quoq; nasci mulos & sepe humili genere natos homines  
ad virtutem aptiores propensioresq; videri illis, qui generis sui  
nobilitatem jactitent, quos sepe prava animi libido ad omne  
scelus agat. 4. Qui alteri fortunam aut nobilitatem expro-  
brant idem facere, quod qui vestes verberant, corpus non at-  
tingunt. Vt enim vestes sunt extra corpus: ita nobilitas &  
fortuna extra nos sunt & in externis bonis numerantur. Quo  
nomine & Vives inquit: nobilitas quid aliud est, quàm na-  
scendi fors à populi stultitia inducta, ut qua sepe latrociniis  
quærat? & Poëta:

Stemmata quid faciunt, quid prodest Pontice longo  
Stemmate censeris? quid a vorum dicere turmas?

Euripides, gravissimus Poëta, inquit, Bonus vir mihi no-  
bilis videtur, qui verò justus non est, licet à patre meliore, quam  
Iuppiter sit, genus ducat, ignobilis mihi videtur.

His & aliis rationibus facti nobilitatem spreverunt,  
eamq; ramenta, rem fictam & præpotentum civium  
commentum asseruerunt, quorum errorem natura ipsa,  
si attendant, facile coarguit. Quod

1. Quod si enim ad fructus plures, suaviores, elegantioresq;  
edendos, multum interest ex quâ succus evellatur arbore,  
quod si etiam ad indagandam fallendamq; feram vel ad e-  
andem persequendam non parùm facit, quali ex genere canis  
suscipiat: quanto magis ad vitam rectè atq; ex virtute ge-  
rendam refert, ex quibus parentibus natus sis: an ex ijs, qui  
nunquam actionem aliquam laude dignam ex se ediderunt,  
an his, quos ardens evexit ad aethera virtus. 2. Certa qua-  
dam hominum studia & mores pro varia locorum & regio-  
num natura ad successionem perpetuâ hereditate traduci vi-  
demus: itaq; verisimilius parentes ipsos, quorum pars quo-  
dammodo sumus, ad eam rem aliquid, imò multum conferre,  
nectant udem valere sive barbara sit, sive Græca Origo. 3. Cor-  
poris accidentia à parentibus in subolem transferri videmus,  
videmus derivari temperamenta, propagari in orbis; quid-  
nî ergo & animorum propensiones, quæ magna ex parte  
temperamentum corporis sequuntur communicari queant?  
Non igitur, inquit P. Martyr. clas. 4. loc. ccm. c. 14. no-  
bilitas est res planè externa, siquidem proprietates, notæ, &  
motus majorû nescio quo pacto ad posteros transferuntur. quæ  
quamvis in proximis filijs & nepotibus sæpè non eminent aut  
apparent; vi tamen quâdam retinentur & in alijs posteris  
reviviscunt, ita ut in illis spiritus majorum atque impetus,  
ad virtutem renoventur. Quemadmodum enim interdum  
fieri solet, ut post aliquos annos steriles, sequantur alij admo-  
dum fecundi, ita nobiles ista familia interdum multos præ-  
claros viros tanquam messem copiosam effundunt, interdum  
tanquam solum effœtum ignava atq; ociosa jacent, rursus  
autem postea ad majorem vir: ut è quodammodo reviviscunt.  
Pro solutione contrariorum dicimus. 1. Nos non loqui  
de iis, qui tantum majorum suorum virtute nobiles vi-  
deri volunt, cum ipsi alioqui sordidè, turpiter & obscure vi-  
vant

vant, His enim illud Poëta occinimus :

Malo pater tibi sit Therites, dum modò tu sis  
A Eacidaë similis, Vulcaniaq; arma capeffas.

Non enim nobis, inquit Lycurgus, Lacedemonios ad temperantiam reducturus, ò cives, nobilitas & ductum ab Hercule genus proderit : nisi omni studio & operâ illa ipsa gesserimus, per quæ ille mortalium omnium clarissimus & generosissimus extitit & per omnem vitam, quæ honesta sunt, discamus & exerceamus. Plutarch. in Lacon. 2. Eandem quidem omnibus originem fuisse, sed tamen non eandem à prima origine omnium successionem fuisse secutam: ob regionum enim consuetudinem, generum vitæ, alimentorum affectionum animi & similium varietatem, varia reddita sunt causa proxima, & propterea varia ex ijs prodierunt effecta. 3. Quod si nonnunquam secus accidit, si vir probus improbos filios, si ex vili etiam casula prodit vir magnus, id nihil referre, quoniam nos id quod communiter & ordinariè evenit considerare debemus, non quod rarò. Natura enim ut plurimum suas leges servare consuevit, secundum quas :

Fortes creantur fortibus & bonis  
Est in juvencis est in equis patrum  
Virtus, nec imbellem feroces

Progenerant aquilæ columbam. Horat. li. 4. od.

4. Clariss. Dn. Præses in sua politica. Piccol. g. 8. c. 14.

#### Q U Æ S T I O VI.

Quid sit nobilitas & quotuplex ?

Quæstiones, quas de nobilitate instituimus, utilitate & fructu carere nullus sibi persuadeat: adolescentes enim ad eam amplificandam & propagandam alacriores reddunt: senes qui nobilitatis semina ac formã in semetipsis fulgere inspiciunt, ejusdem fructus læto animo intuentur in natis: ingenuis verò viris cum nobilitas & conditio viri liberi & ingenui  
felici



felici nodo juncti sint non possunt non placere. Piccol. grad. s. c. 14. Dari nobilitatem proxima questione probavimus: consequens est, ut quid & quotuplex eadem sit dispiciamus. Socrates qui ἀνδρῶν ἀπαρτῶν τοφώτατ' ἔσθ' Apollinis oraculo dictus, cuidam sciscitanti quid esset nobilitas? anima, respondit, & corporis bonae temperies: quo responso innuere voluit, veram nobilitatem neutiquam in generis splendore, sed virtutis fulgore consistere. Aristot. in lib. de nobilit. citante Stobæo, nobilitatis naturam & conditionem sic explicat, dicens, esse virtutem generis, & alicujus familiae congruentem quandam facultatem procreandi viros ingenuos, ad virtutem faciles, multorum & ad minus trium successione confirmatam. Sed ut melius quid nobilitas sit, intelligamus cum Piccol. grad. s. c. 16. & Clariss. M. Jacob. Martini in cent. eam quadruplicem facimus, quarum 1. divina, quae est elevatio gradus & naturae rei ad Deum, accessio ad illum, ut creaturis licet, cujus nobilitatis caput & princeps est Deus. Hinc D. Hieronymus ad Celantiam scribit: Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Sola apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. Quas autem virtutes intelligat, exponit alibi, ubi in hac verba prorumpit: ille apud Deum est potior, non quem nobilitas generis, nec quem dignitas seculi, sed quem devotio fidei & sancta vita commendat. 2. Nobilitas moralis est, quae nihil est aliud quam habitus virtutis more & assuetudine comparatus. Haec nostra propria censenda est. Nam (ut Ovidius ait) quid imaginibus, quid avitis Atria, quid pleni numero consule fasti (fulta triūphis Profuerint? si vita labat, perit omnis in illo. Gentis honos, cujus laus est in origine sola.

Hanc Euripides intelligit dum scribit: Bonus vir mihi nobilis videtur, qui verò justus non est, licet à patre meliore, quam Juppiter sit, genus ducat, ignobilis mihi videtur.

3. Natu.

3. Naturalis est quam etiam superius ex Aristotele defini-  
vimus. Hac à Græcis nuncupatur ἐὺγένεια, qua non in uno ali-  
quo individuo ut moralis, sed in continuata serie plurium  
consideratur. De hac ita scribit Piccolomin. loco nota-  
to: Nonnulli sunt natura nobiles, qui vel ob pravam educa-  
tionem vel ob aliud labuntur in vitia nobilitatisq; morum ex-  
peries inspiciuntur; quibus tanquam sterilibus plantis, tan-  
tum abest, ut nobilitas natura sit ornamento, ut potius sit  
dedecori & infamia, vel rectius illi sunt dedecori no-  
bilitate sue familia: nec propterea perit nobilitas sui  
generis, qua adhuc servat facultatem generandi alios, qui  
sint ad honesta proclives. Si autem eveniret, ut ex nobili ge-  
neris filius oriretur ad vitia proclivis, in eo profectò nō serva-  
retur nobilitas generis, sed desineret, desineret dico in eo non  
tamen in universa familia: ut enim unus non parit nobili-  
tatem naturalem sui generis, ita nec unus solus jam partem  
evertit & extinguit. Hæc nobilitas duplex est, una quæ  
competit uni familia comparata cum altera, & dicitur pri-  
vata: altera est regionum & urbium, quæ publica nuncupa-  
tur. 4. Demum est nobilitas fortunæ externa quadam  
nobilitatis imago in bonis fortuna resurgens. Quærimus  
igitur de novo:

QUÆSTIO VII.

An divitiæ nobilitent?

Diximus, pro ratione nostri instituti, de quadruplici no-  
bilitate. Sciendum autem est ex conspiratione horum quatu-  
or graduum exactissimam & perfectissimam nobilitatem  
consurgere, cujus semen & spiritus est nobilitas divina, ma-  
teries nobilitas natura, forma proxima nobilitas morum, in-  
strumenta & externus fulgor nobilitas fortuna. Sed ad que-  
stionem. Si vulgi valeret iudicium certè affirmativa ad-  
mittenda esset: Illud enim ut omnem felicitatis punctū, ita  
etiam nobilitatem in divitijs positam esse censeret, ut testatur  
Plutar-

Plutar. dum ait: *quid aliud nobilitatem esse censemus quam opes antiquas aut veterum gloriam?* Et Hier. *nobilitas mundi nihil aliud est, quam inveterata divitia.* Hinc Simonides interrogatus *quis esset nobilissimus?* respondit, *eum qui ex majoribus longo tempore locupletibus natus est.* Huc & illud tritum pertinet vulgi dictum: *nobilis est ille, quem sua nobilitat villa.* Quare pauperi apud Romanos non licuit senatum ingredi; postquam Servius ex censu legit senatores: uti Ovid. 1. Fast. conqueritur:

In pretio pretium nunc est, dat census honores,  
Census amicitias, pauper ubique jacet.

Et Cicero ad Atticum *quendam senatu motum scribit, quod censum non complevisset.* Verum hanc sententiam omnes saniores jure meritoque rejiciunt. 1. *Quia divitia etiam cadunt in personas sordidas, turpes, infames & viles, quibus dignitatum porta merito clauduntur.* 2. *Nobilitatem oportet esse de genere verorum bonorum, atqui opes & divitia vix collocanda sunt inter bona, quod perinde sint ut illius animus, qui ea possidet: qui uti scit, ei bona, illi qui non utitur recte, mala.* 3. *Neque paupertate nobilitas extinguitur, quandoquidem & Plinius in lib. de vir illust. Scaurum simul vocat nobilem & pauperem, & Tacitus Cottam nobilem quidem sed egentem.* Pro pleniori quaestione determinatione distinguendum. 1. Inter essentiam nobilitatis & ejus ornamentum: *Divitia sunt quidem ornamentum nobilitatis, siquidem omne bonum bono editum facit illud praestantius Aristoteles 10. Nic. c. 3. sed non sunt de essentia nobilitatis, seu nobilitatem non afferunt.* 2. Inter nobilitatem popularem, quae nititur genere & divitijs: & inter nobilitatem proprie ita dictam, quae nititur virtute cum parentum tum propria. Clariss. Dn. Praeses in sua Politic.

QUAESTIO VIII.

C

An

An ergo sola virtus nobilitet, ut qui ab ea sic satis instructus fuerit, statim se nobilem profiteri possit?

Fuerunt quondam in Poëtis, & etiam Philosophis, præsertim Stoicis, qui ex sola virtute nobilitatē æstimârunt: unde illud Iuvenalis: Sat. 8.

Tota licet veteres exornent undiq; ceræ

Atria, nobilitas sola est atq; unica virtus. Et Horat. ex mente Mecœnatis referre negat quali sit quisq; parente natus, dum ingenuus. Sic & Seneca ep 44. non facit inquit, nobilem atrium plenum fumosis imaginib. nemo in nostram gloriam vixit, nec ante nos quod fuit nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacunq; conditione supra fortunam licet surgere. Et in Hercule furente, qui genus suum laudat aliena laudat

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,

Vix ea nostra puto. Ovid. ad Pison.

Hinc Hostiensis istam generis nobilitatem vocat nobilitatē stercoris: & Galen. in exhortat. ad bonas art. comparat numismati, quod in sua Rep. tantum valet, in alienâ adulterinum est. Propterea Tullius Hostilius apud Hannib. lib. 3. & Liv. lib. 1. singulari laudē vertunt suis Romanis, quod nullâ alia in re, quàm virtute nobilitatem colloscent: & de Turcis hodieq; constat, quod nullâ ab illis habeatur nobilitas, nisi quam ipsa facta pepererunt, ut testatur Busbequius in ep. de Legat. Turnia.

Pro quæstionis determinatione: 1. distinguimus inter nobilitatem naturalem & moralem: de hac locuti sunt Philosophi & Poëta adducti. Proinde duæ hæ sententiæ, ex genere & virtute nobilitari, non sunt contrariæ; sed sibi invicem subordinantur. 2. Quemadmodum gradus Doctoris & Magistri conferri debent propter eruditionem, nemo tamen pro doctore & Magistro se venditar

ditare debet, nisi renunciatus ab eo, qui rei illius habet  
potestatem: ira nec ex virtute quisquam nobilis est nisi  
declaratus consensu ejus, cujus ea est potestas. *Clariss.  
Dn. Praeses in Praelect. Polit.*

### QUAESTIO IX.

Uter ergo qui ex genere, an qui ex propria no-  
bilitatur virtute, praefendus?

Johannes Hunniades Hungarici regni administrator,  
cum misisset ad Huldericum Sicilia comitem, ut ad se veniret  
in castra, plane noluit & ad se missis respondit: non ego Co-  
mes & princeps & tam nobili familiam natus ad te veni-  
am hominem novum & nostram aetate nobilitatum. *Quod*  
*cum accepisset Johannes: non ego, respondit, tuis majori-*  
*bus, sed tibi me confero: quanquam ne illis cedam, qui*  
*pugnando pro Christiana religione nobilitatus majus*  
*lumen posteritati meae comparavi, atque ut in te, Siciliensis*  
*comitatus turpiter extinguitur: ita in me domus Nistri-*  
*censis exornatur. Aeneas Sylvius de dict. Sigis. & Fred.*  
*imperat. Ita nempe partium decertatio semper fuit an ejus qui*  
*ex genere, an qui ex propria virtute nobilitatur, major*  
*sit dignitas. Pro cujus questionis decisione nos distin-*  
*guimus. Si enim nobilis genere paternam virtutem imi-*  
*tetur & istam nobilitatem ex genere deductam novam*  
*virtute adauget, jure meritoque praefendus est illi, qui*  
*ex propria nobilitatur virtute. 1. Quia hic verè nobilis*  
*cum virtute parentum seu generis splendore, tum virtute*  
*propria. 2. Quia non minor est virtus, quam quaerere partem*  
*tueri. 3. Nobilitas tantò major, quanto plus inveterascit.*  
*4. Nobilitas nova, novum dignitatis gradum adjicit, hoc*  
*est, propria virtus novum gradum adjicit virtuti parentum.*  
*Proinde sicut & illi, qui virtute sunt pares, praefertur ille, qui*  
*ex honestiori familia est ortus: ita nobilis cum genere tum*  
*propria*

*pria virtute præfertur illi, qui ob propriam virtutem nobilis  
declaratur Clariss. Dn. Præses in Polir. & Keckerman.  
disp. 22. curs. Philosophici.*

*Q V Æ S T I O X.*

*Cur multi ex parentibus virtute claris orti degenerent ?*

*Notum est Græcorum proverbium ἀνδρῶν ἰσώων τέκ-  
νων ἀήματα, cujus causas hac questione venari conabi-  
mur, questio certè, si ulla alia, dignissima juxta & amplissi-  
ma. Et quis est negligentia tam supina, qui non dispicien-  
dum existimet, qui fiat, quòd parentes optimi pessimos, sapi-  
entissimi stultissimos, felicissimi miserrimos liberos suscipiant  
& relinquunt ? Miramur cur frumentum in avenam abeat,  
cur in lolium degeneret, scrutamur. Si hoc verum, uti verissi-  
mum est, cur etiam non hujus indignissima ἀραξίας latentes  
causas eruere volumus ? Sed ad questionem. Nobilium fi-  
lios à paterna & avita virtute degenerasse notius est,  
quàm ut probatione indigeat. Historias si consulere vo-  
luerimus tam sacras, quàm profanas, exempla multò faciliùs  
colligi, quàm eligi possunt. Non jam è sacris mentionem fa-  
ciam Adami qui Cainum parricidam & patriæ desertorem  
religionis suscepit. Non Nohe qui Chamum ad suæ nudita-  
tis ignominiam genuit. Non Isaaci qui Esauum fratris jura-  
tum hostem pertulit. Non Jacobi qui quot habuit filios, tot  
plagiarios, incestos, homicidas, si duos saltem exceperis, ha-  
buit. Non Moysis qui liberos inertes, ignobiles, obscuros pro-  
seminasse scribitur. Non Davidis, cujus ædes Absolon frater-  
no sanguine respersit, patrem bello petijt, regno exiit, nover-  
cas constupravit, & hoc unum vi nefaria molitus, fraude  
sceleratà machinatus est, ut parentem & imperio privaret &  
vita spoliaret. Hec omnia silentio datà prætervehor operà. A-  
liunde paucula quedam in scenam producam. Cyrus, nulli  
propè regum vel pietate vel clementia vel animi magnitudi-  
ne*

ne vel rerum gestarum gloria vel potētia secund usfuit.  
Is Cambysen filium & successorem habuit, cuius in Deum im-  
pietas, in cognatos immanitas, erga subditos universos cru-  
delitas multis nobilitata sceleribus ad omnem usq, posterita-  
tem dimanavit. Atheniensium Resp. magnos olim tulit viros,  
quos inter facile ducere familiā & principem tenere locū, Pe-  
riclem, eloquentia & magnanimitate: Themistoclem pru-  
dentia & fortitudine: Aristidē justitia & moderatione, nemo  
est, qui inficias ire possit. At quibus, queso, liberis vitæ lāpada  
tradiderūt? Pericles Paralū & Xantippum stultos & fa-  
tuos Themistocles Cleophantū degenerem & improbum:  
Aristides Lysimachū inertē & obscurū reliquit. Ad Augu-  
sti familiā nos convertamus, quæ proh dolor hujus δποσωσίας  
viva exempla nobis exhibet. Et quidem hāc in domo, quæ nu-  
tu probè terrarum orbem temperabat, admiranda virtute &  
invisitata felicitate præstiterunt. Octavius Augustus, Dru-  
sius & Germanicus. Augustus Laudatissimus ille Prin-  
ceps & Monarcha, Julias habuit & filiam & nepotem,  
projectissimæ impudicitia & procatissima libidinis muliercu-  
las. Agrippam nepotem sordidum, ferocem & intractabi-  
lem. Drusus verò privignus Augusti pacis & belli artibus in-  
signis, prudens, fortis, strenuus & felix, filium habuit Claudi-  
um Imperatorem hebetem & stolidum, inertem & ignavum,  
invisum subditis, odiosum exteris, despectum universis. De  
Germanico quid dicam? Is propter eximias corporis dotes  
animiq, virtutes omnes sibi cives tanta benevolentia conci-  
liarat, ut quoties è provincijs ad urbem se reciperet, omnis se-  
xus, atas, ordo, Pop. Rom. ad vicesimum usq, Lapidem se-  
se effunderet. Filium habuit Caligulam, nepotem ex filia  
Neronem: non homines, sed mera hominum monstra, pro-  
digia, portenta. De Constantini re & nomine Magni fi-  
lijs jam nihil dicam & sexcentis alijs, quorum facinoribus re-  
C 3 ferti

ferti sunt omnes historicorum libri: ad causas hujus ἀνωμαλίας  
veniam. Possunt autem illæ ex duplici fonte desumi,  
Theosophiâ nimirum & Philosophiâ: Illas, cum non sint  
nostri fori, omittimus; has prosequimur. Philosophicæ causæ  
sunt duplices: Physicæ & morales: Nam non solâ natu-  
râ bonos homines effici omnium scriptorum consensu receptum  
est. Habilem quidem natura facit, non dat habitum, inclinat  
non cogit, cui nisi doctrinæ & præcepta magistralia morum Philoso-  
phia præstò sint, quid mirum si plerumq; præceptis ad malum ca-  
gatur. Plutar. ex Xenophonte in opulc. pro nobil. Hac  
de re hunc in modum loquitur, quod homines qui alioqui sunt  
nobiles & virtuosus aliquando vel opum ac divitiarum vel  
pulchritudinis gratiâ, ignobilem & non bene meratam ux-  
orem sibi adjungant, quæ ut conjunctissimum quoddam est in  
generatione filiorum principium, ita validissimum est ad na-  
turam earundem depravandam, si sit mala. Et hæc est pri-  
ma causa Physica. 2. Est incommoda & immatura ætas:  
non enim omnis ætas generationi apta, est saltem perfectæ.  
Cœli soliq; constitutio munis felix & salubris. Neq;  
eæ causæ quas enumerat Levin. Lemn. in lib. de occult.  
nat. miraculis minoris sunt momenti, sed cum à castissimis  
studiosorum auribus non nihil sint aliena, easdem asserre no-  
bui. Consulat Lemnium qui volet. Morales quod attinet  
causas, de ijs hunc in modum verba facit Arist. lib. 7. Po-  
lit. c. 15. Ut corpus hominis prius gignitur quam anima, &  
pars animæ rationalis expers, vel appetitus priusquam mens  
& ratio: sic primis illis temporib. ætatis, sensu duntaxat vivi-  
mus, mens & ratio per seipsa non expergiscitur, nisi externus  
qui clamet præceptor adsit. Ut autem benè propensus atq; af-  
fectus à patre profluxerit, appetitus, tamen est atq; rebus cadu-  
cijs & corporeis, quæ natura sua conveniunt, facile movetur.  
Quid mirum igitur, si tenerior illa ætas nullis suffulta admi-  
niculis



viculis in contrariam natura sua partem flectatur? si appeti-  
tus consuetudine ad malum conversus (ad utramque enim par-  
tem se convertendi facultatem habet) proba institutione atque  
educatione non cohibitus tantas postea vires sumat, ut adultus  
etiam atque exorto rationis lumine, ipse tamen adhuc sibi  
vendicet principatum? Inter causas itaque morales hujus cala-  
mitatis, locum sibi primum jure vendicat (ut modo ex Philoso-  
pho intelleximus) educationis ratio proposita, de qua li-  
bet usurpare Comicum illud: ut quisque filium suum vult  
esse, ita est. Et blanda patrum segnes facit indulgentia  
natos. Item: qui non vetat peccare cum possit, jubet. Si n.  
pueris a teneris, quod a iunt unguiculis facere libeat: quicquid  
libet. Si parentes, nutrices domestici ne hiscere quidem, nisi ad  
ipsorum nutum audeant: certe flexus & motus animorum in gy-  
rum rationis ducere, cupiditates reprimere, libidines coherce-  
re, perturbationes edomare, ne adulti quidem & viri pote-  
runt. 2. Causa est quod bonam aetatis partem liberi in  
gynceis inter ancillulas, inter amoullas, inter matres edu-  
cuntur muliebriter, molliter, lautè, delicatè, ut sexu quidem viri  
sint, sed animo foeminis languidiores. 3. Praeceptorum flagi-  
tiosa ut mollissimè dicam indulgentia. Ita siquidem cõpa-  
ratum est, ut magistrorum plurimi heroinarum gratiam aucu-  
pentur, discipulorum captent benevolentiam, premia sperent,  
mercedem paciscantur olim si adoleverint, solvendam. His  
ut potiatur omnibus: nihil non sciunt, nihil non permit-  
tunt alumnis: ociari, stertere perorare, alea ludere, amori ope-  
rã dare, nihil pietatem nihil studia literarum facere, omni viri-  
tuti longum valedicere: neque hac solum tolerant, sed etiam  
integunt, occultant, palliant, excusant. Alij qui non nihil melio-  
res si paululum discipuli profecerunt: Dii boni quos clamdre sex-  
cit at. Novit alumnus discrimen inter oves & ova: absolutus est  
grammaticus. Prædicabilis esse didicit, optimus est dialecticus.

Genera

Genera causarū in Rhetoricis hāsitanter resistare potest, orator est disertissimus Cicerone eloquentior &c. Deniq; non infrequens est & tertium illud praeceptorum genus, qui quae non probanda vident quidem & dolent, aucter corrigere sed emendare non audent. Sciunt quae didaxerūt Lino fuerint persoluta. Sciunt quid evenerit Senecae, qui ob plagas quas Neroni puero inflixerat, postquam ille lupi catulus adolevisset, in labro aquae calidae venas secare passus interijt.

4. Accedit, quod Comicus inquit, apud magnates primas tenere assentatorem, secundas Sycophantam, tertias malitiosum. Vt enim muscae circa culinas volitant & caenaculorum parietibus adherescunt: ita parasiti non nisi locupletiores, nobiliores consēctantur adolescentes. Quid autem facilius his mastigis, quam adolescentes rerum imperitos, sensim ad turpissimorum scelerum & gravissimorum malorum praecipitia vel invitos abducere. Cū itaq; tot apud magnos viros educationis impedimenta sint, quis porro ἀδῶν ἠρώων τέχνη πηματα esse mirari poterit? Et sic huic quaestioni cum Deo finem imponimus.

#### COROLLARIA.

- I. Cur nobiles accuratiore indigeant educatione?
- II. An ad vitam rectè instituendam magis conferat nobilitas, an potius congruens educatio?
- III. An parentum vitia quoque in filios transeant?

Τῶ. Σεῶ. δόξα.









X 2677027

VD 17







3

C A S U S II.

**TIONUM**

MIUM, AD SUP-  
 thicarum quæstio-  
 centuriam,  
*in loco adjectarum.*

*Quam*  
 ente & docente  
*Wittebergensi Academia,*  
 R Æ S I D E  
*præsidente & Excellentissimo*  
**NICO VELSTENIO,**  
 Moralis Prof. Publ.  
*proponit*  
**S CANUTI FORTHE-**  
 ia Orientali Peersôrensis.  
*in quatuordecim horis locoq; consuetis.*

*Jovius.*  
 obilius atq; beatius, quàm invicto  
 q; alienæ fortunæ obviam ire per-  
 æ & liberalitatis operibus insitæ  
 ndisse.

*Wittebergi Johannis Gormanni, An. 1610.*

